modus ſacerdotii adveniens alteri perſonarum ſtatim præbeat exceptionem: utpote nequaquam nuptiarum exiſtente ſpe [1]. §. 2. Si vero tranſire contigerit annale tempus: damus quidem perſonæ huic accipere quod relictum eſt: non abſolute tamen, nec ſimpliciter: ſed ſi quidem immobilis fuerit res, non aliter hanc accipere, niſi juratoriam cautionem expoſuerit, & ſuppoſuerit ſuas res (hoc quod tacite ex hac lege damus) *ut ſi ad ſecundas venerit nuptias, reddat quod datum eſt, tale quale percepit reſtituens, & quos accepit in medio fructus* [2].

§. 3. Si vero mobilis fuerit res: ſi quidem idoneam habeat ſubſtantiam perſona volens accipere, dari quod relictum eſt ſub eadem cautione & iiſdem hypothecis. Sed ſi quidem aliquid aliud mobilium fuerit: tale reſtitui, quale recepit, aut diminutionis medeatur partem.

§. 4. Si vero pecuniæ [3] fuerint etiam cum uſuris [4], quas inde percipere valuerit: jurejurando reſtituentis hoc judicando. Si vero non mutuaverit quidem, ſed uſus eſt: tertiæ [5] centeſimæ reddat uſuras.

§. 5. Si vero non [6] valde locuples fuerit: etiam fidejuſſorem hunc exigi. Si autem non valuerit fidejuſſorem dare, tunc ſub juratoria [7] cautione, & hypotheca (ſecundum quod dictum eſt) ſuarum rerum accipiat quidem quod relictum eſt. §. 6. Mox autem, ut ad ſecundas nuptias venerit, hoc ab eo qui dedit, vindicetur, apud [8] quamcunque apparuerit perſonam, tanquam ſi ab initio neque datum fuiſſe videretur, quod in omni reſtitutionis caſu, ſive mobile ſive immobile ſit quod futurum eſt reddi, valere ſancimus. §. 7. Si vero aurum [9] fuerit quod relinquitur: minus idonee vero ſe habeat ad fidejuſſionem: & nec ipſe dignus ſit cui hoc credatur: manere quidem apud illum a quo relictum eſt: tertiam [10] vero centeſimæ ejus uſuram præſtari: quam uſque tunc ſolvat, donec aut ſecundas ille contrahat nuptias (quando & reſtitutio præſtitarum uſurarum ſuſcipiet facultatem) aut fiat manifeſtum nullatenus poſſe iſtum ad nuptias pervenire, ſive ſecundum modum ſacerdotii (tunc enim ei dabit quod relictum eſt) ſive [11] morte: accipient enim hoc omnino ejus heredes, nihil neque de datis uſuris reddentes.

§. 8. Hanc ipſam autem introducimus obſervantiam & eundem intellectum, etiamſi [12] non conjuges alterutris ſub tali reliquerint conditione: ſed aliquis alius extraneus ſive viro ſive mulieri ſub tali conditione dari quid voluerit, ſcilicet fortuitorum [13] caſuum: ſecundum ſuam naturam, lege ſuper his tam in præſtandis quam in reſtituendis conſervata. Hæc igitur ex jam nuper factis a nobis occaſione Juliæ Miſcellæ conſtitutionibus retribuimus: alia vero ſint firma ſecundum terminos & caſus ſecundum quod hæc expoſuimus. §. 9. Præfatæ autem a nobis obſervationes dentur, (ſi inſtitutionis ſit pars [14] aut legatum) heredibus aut ſubſtitutis, aut illis a quibus hæc relicta ſunt: ſi quidem mortis cauſa donatio: omnino heredibus. Si vero ex aſſe ſecundum talem conditionem conſcribatur quis heres: ſubſtitutis ſi fuerint, aut omnino iis qui ab inteſtato vocantur ad hereditatem, hujusmodi obſervationes præſtentur, ut undique lex habeat propriam perfectionem: niſi [15] forte teſtator & hoc præcipiat, dicens licentiam habere eum cui dereliquit, ſive per inſtitutionem particularem, ſive ex aſſe, aut per legatum vel fideicommiſſum, ſive per mortis cauſa donationem, & accipere quod relictum eſt, & nullam cautelam dare: tunc enim ſequenda eſt defuncti voluntas. ſtudii enim noſtri eſt, defunctorum conſervare [16] ſecundum legem voluntates.

CAP. XLV.

De adminiſtratione donationis propter nuptias. Idem dictum fuit ſupra Novell. 2. cap. 4.

ET [17] quia parum antea de cautela rerum ediximus, & Leonis novimus divæ memoriæ conſtitutionem [18] de ſecundis nuptiis, ſi ad eas veniens mulier non valeat dare fidejuſſionis cautelam, quia filiis reſtituat res, tertiam partem centeſimæ accipere: nos cauſam adhuc melius ab ea conſtituimus, illius ſuper hoc ſtatutis competentem adjicientes ſubdiviſionem. §. 1. Et ſancimus (hoc quod pridem [19] a nobis in quadam dictum eſt conſtitutione) ut ſi quis [20] offerat [21] res propter antenuptialem donationem: ſiquidem omnes immobiles conſtitutæ ſunt, maneat earum uſus apud matrem ad ſecundas venientem nuptias: & eadem hæc eligat, & non recuſet, neque [22] exigat a filiis pro æſtimatione earum uſuras: ſed diligentiam earum habeat ſecundum quod lex dat uſus dominis conſtitutis: conſervet autem hæc ſecundum leges filiis ſuperſtitibus: aut ſi omnes moriantur, ſecundum noſtram legem caſu filiorum non exiſtentium, matri reliquo remanentibus filiorum hereditatibus conſervando. §. 2. Si vero univerſa conſtituta eſt forte in pecuniis [23], aut aliis mobilibus rebus antenuptialis donatio: tertiam partem uſurarum accipiente matre, cum prius ſancita cautela non exigi a filiis aurum, niſi forte ſine invidia ſit viri facultas, & habeat aurum & argentum, & veſtes, & quicquid conſcriptum eſt matri: damus etenim tunc electionem matri, ſi velit res accipere, & dare fidejuſſoriam cautionem, ſive prædictas accipere uſuras: dicimus autem ex tertia parte centeſimæ tam ſecundum anteriores leges, quam etiam ſecundum noſtras. §. 3. Si vero permixtæ ſint res, & donatio tam in pecuniis quam in immobilibus rebus ſit, immobiles quidem omnino manere apud matrem: propter quod alimenta habeat exinde: in rebus vero mobilibus illa tenere, quæ pridem ſancivimus, ſi contigerit in mobilibus rebus omnia antenuptialis donationis eſſe conſtituta: providente muliere quod non negligat immobilia, neque imminuta hæc faciat, ſed qualia accepit, reſtituat.

CAP. XLVI.

De ſucceſſione [24] matrum in bonis filiorum pro qua parte fiat, & quomodo.

HInc [25] nos alia evocat ratio quæ de filiorum ſucceſſione eſt: quam accipient quæ ad ſecundas veniunt nuptias. Jampridem enim de his ſcripta eſt lex a nobis ad Hermogenem [26] glorioſæ memoriæ magiſtrum ſacrorum noſtrorum factum officiorum reſcripta, Beliſarii glorioſi præcedens [27] conſulatum, ſeptimo decimo Kal. Aprilis, per quam ſancivimus matres ad filii non relinquentis liberos, cum ejus qui mortuus eſt fratribus, ſine cautione vocari ſucceſſionem: & ejus cum uſu etiam proprietatem habere firmam: ſive priuſquam heres relinquatur, ſive poſtea ad ſecundas venerit nuptias: auferentes leges quæ de his contrarium quid præcipiebant. † Hanc autem noſtram ſanctionem firmam etiam modo manere ſuper ſolas perſonas parentum, quæ dudum ad ſecundum venerint matrimonium, ſancimus: & quasdam propriorum accipientes filiorum, firme ei ſervantes, & ſecundum deinceps tempus: ſive ante nuptias, ſive poſt nuptias hereditatem in eas filii deſcendiſſe contigerit. † De his autem quæ poſt hæc ad ſecundum veniunt virum, ita nobis præſens lex diſponatur, & ſanciatur. Ergo neceſſe eſt filio moriente, ſive maſculo, ſive fœmina, ſive teſtatus moriatur, ſive etiam ſine hoc: interim ea, quæ ex teſtamento ſunt dicentes, ita ad ordinem qui ab inteſtato eſt, veniamus. §. 1. Si igitur legitime filius teſtatus [28] fuerit, & relinquat matri ſubſtantiam, ſive partem ejus aliquam: hanc illa accipiat per ſcripturam (quia ubique cuſtodire morientium [29] volumus voluntates) & habeat quod dimiſſum eſt, aut datum, & ſecundum proprietatem, & ſecundum uſum. Sicut enim licebat relinquere alicui extraneorum, & nihil heredi ſecundæ mulieris nocebant nuptiæ: ita & matri relinquens, ſive inſtitutionem [30], ſive legatum, recte derelinquat & dominium, & uſum, ſive [31] ex rebus quæ extrinſecus advenerunt, fuerit facultas, ſive ex paternis: nihil ex hoc fratribus contradicere valentibus.

§. 2. Si autem inteſtatus [32] filius moriatur jam ad ſecundas veniente matre nuptias, aut poſtea veniente: vocetur [33] quidem & ipſa cum filii aut filiæ fratribus [34] ſecundum noſtram conſtitutionem ab inteſtato ad ejus ſucceſſionem. Sed quanta [35] quidem ex paterna ſubſtantia ad filium pervenerunt, eorum ſolummodo [36] habeat uſum ad ſecundas omnino, ſive prius, ſive poſtea veniens nuptias: in reſiduis vero omnibus rebus, quæ aliunde erant filio præter paternam ſucceſſionem, veniat ſecundum vocationem noſtram, quam ſtatim dicemus, quadam correctione & ea indigere. Et hæc dicimus in rebus quæ extra [37] nuptialem donationem ſunt. Quæ enim in illis ſancita ſunt a nobis, & a Leonis divæ memoriæ conſtitutione [38], integra conſervamus: in quibus ſolum mater habeat uſumfructum. §. 3. Sed in aliis rebus hæc ſancimus, & deinceps ipſi tradimus quæcunque poſt nuptialem donationem ſunt a patre venientia filio, aut ex aliis cauſis, tam ex teſtamento, quam ab inteſtato ſucceſſionibus: ratione contra [39] ingratos filios undique & ſuper iſtis rebus, ſervata, quando manifeſtæ [40] cauſæ ingratitudinis demonſtrantur: aliorum omnium, quæ de ſucceſſionibus dicta ſunt parentum in filiis, aut filiorum in parentibus, intactis manentibus. §. 4. Ingratitudinem autem hic conſideramus, non ſolum ad matrem ſecundum pridem a nobis dictum: ſed etiam adverſus [41] eundem ipſum fratrem defunctum.

CAP. XLVII.

ET quoniam ſcimus multas fratribus [42] ad invicem factas contentiones: illum ſolum, tanquam [43] ingratum circa fratrem effectum, participari hoc lucrum non concedimus qui [44] mortem voluit fratri, aut criminalem inducere contra eum inſcriptionem [45], aut ſubſtantiæ ei properavit inferre jacturam: ejus enim portio tam ad reliquos fratres, quam ad matrem veniat. Et hæc lex ſupra filiorum ſucceſſionibus, quibus cum matre ſuccedunt fili, maneat, illam quæ a nobis facta eſt ſubdiviſionem introducens iis, quæ futuro tempore matrimonio ſecundo ſunt ſocianda viris. Quæ enim jam ad ſecundum matrimonium pervenerunt, [& beneficio memoratæ noſtræ legis potitæ ſunt] his liceat ſucceſſionem, ſive per teſtamentum, ſive ab inteſtato habere firme, & ſecundum dominium, & ſecundum uſumfructum, & alienare & teſtari, & tranſmittere ſecundum quem voluerint modum, nihilque ſit eis impedimento quolibet tempore ex præſenti conſtituta lege. §. 1. Illud autem firmum ex primo matrimonio filiis maneat, quod ſuper his per prædictam a nobis conſtitutum eſt ſanctionem. † Quod [1] ſi antenuptialem donationem, quam mater moriente marito lucrabatur, contigerit ad morientem filium pervenire, & propterea partem ei illius fieri hereditatis: matrem neque ſecundum quod ſuccedit filio, dominium eorum, ſcilicet antenuptialis donationis rerum perfrui: ſolum autem habere horum, quamdiu ſupereſt, uſum & uſumfructum.

† Maneat igitur & hoc his, qui ex prioribus nuptiis ſunt, filiis condonatum: niſi forte ante prædictam conſtitutionem judicialis ſententia & tranſactio inter partes facta de his aliquid ſtatuerit. §. 2. Et [2] quoniam mater excludebatur [3] quidem a filio maſculo, hoc faciente ſenatusconſulto quod Tertullianum vocant: filiabus autem commiſcebatur: nos non quærentes filiorum jus, ſed exinde ei legitima jura dantes, vocamus quidem eam [4] etiam cum maſculis fratribus morientis in tantum in quantum [5] numerus filiorum fuerit: quatenus & ea partem habeat tantam quantam unusquisque fratrum. Si vero permixti maſculi & fœminæ fuerint: hoc ipſum diſponentes. Si vero pater & filiæ ſolæ conſiſtant, ibi ſenatusconſultum mediam quidem partem dabat matri: reſiduam vero mediam ſororibus quantæcunque extitiſſent. Quod quoniam non primitus correximus, modo adducimus ad competentem correctionem, & in iſto caſu vocantes eam pro [6] rata filiarum: quatenus quantum unaquæque filiarum habet, tantum ſolummodo & ea accipiat: & in omni caſu hic relato, in virilem portionem (hoc quod legis eſt) etiam mater veniat: ſive conſiſtant ſoli maſculi, ſive ſolæ fœminæ, ſive etiam permixta utraque ſoboles.

CAP. XLVIII.

Ut parentes ſtudeant æqualitatem inter liberos primi & ſecundi matrimonii ſervare.

ILlud quoque ſuper hoc adjicere legi juſtum exiſtimavimus. Si enim moriatur vir aut mulier filios habentes & ex prioribus & ex ſecundis nuptiis, quas poſt hanc noſtram contraxerint legem: (in his enim præſentia diſponimus) quæ quidem ſuper lucris ex nuptiis ſervari oportet, hoc ſanximus: inſuper & decrevimus portiones, quas neceſſe eſt parentes legitimis & non ingratis relinquere filiis, ipſos tamen genitores non erit juſtum ad ſecundam omnino declinare prolem, & quod ex lege eſt, tantummodo relinquentes prioribus alia omnia ad ſecundos deducere, ſed aliquid & prioribus adjicere. Nam ſi aliquem ex ſecundis habeant nuptiis, aut etiam ex primis forſan, ita feſtivum, ita dilectum, ut velint præponere eum aliis in poſſeſſione, damus licentiam hoc agendi: non tamen omnino priores quidem filios minuere, ſecundos autem augere: ſed neque vehementer magnificare augmentum, nec omnino oblivifci priorum matrimoniorum, neque infirmare ea quæ a præcedentibus nos de talibus dicta ſunt: ſed providere quidem & ſecundis, providere autem & primis: cogitantes [7], quoniam ambo filii ſunt: & ita facientes ſucceſſionum in teſtamentis diviſionem. Si enim inteſtatis eis mortuis lex omnes ex æquo [8] vocat: competens eſt eos imitantes legem, non vehementer magnis eos abbreviare [9] minutionibus, erubeſcentes legem, ſic enim erunt boni patres, & noſtra digni legislatione: & juſti quidem erunt ſolam legem cuſtodientes. Si quid autem etiam ſupra legem reliquerint: erunt juſti ſimul & humani patres: & non hæc dicimus inter gratos & ingratos filios, (de ingratis enim jam ſæpius dictum eſt) ſed de iis qui magis aut minus diliguntur: cum utique multa differentia ſit ingratitudinis, & gratiarum actionis, & diſſimilis honoris. Hanc itaque partem de æquitate filiorum ex priore & ſecundo matrimonio venientium, adhortantes [10] potius [11] quam ſancientes dicimus: alioqui ſemel augentes [12] ab inteſtato partem omnino filiis relinquendam: & usque [13] ad [14] quatuor quidem filios, quatuor uncias omnino definientes, ſi autem ultra quatuor ſint, usque ad mediam ſubſtantiæ partem: idoneum jam dedimus filiis ſolatium, non ex parva menſura antiquam eorum anguſtiam reſolventes. §. 1. Sit igitur præſens lex futuro tempori ſanciens, ſicut ſæpius dicentes prævenimus, & nihil priorum tangens, ſed collecta undique & complexa ſub una continuatione: & omnia pene de ſecundis pronuntians nuptiis: & priora quidem prioribus in ſua virtute ſervans, quæ vero ab ea diſpoſita ſunt, futuris ſecundis explanans nuptiis, & novam quandam undique ac ſubtiliſſimam introducens quærentibus utilitatem: omnibus quæ ſuper talibus poſitæ ſunt conſtitutionibus, in futuris poſt hanc noſtram legem nuptiis, & quæ ex his evenerint, vacantibus: hac videlicet una conſtitutione futuro tempori, ſecundum quod a nobis definitum eſt, in iis qui continentur in ea caſibus, pro cunctis ſufficiente.

EPILOGUS.

† Hæc igitur tua celſitudo omnibus gentibus quæ ſub tuo ſunt cingulo [15], ſolemni modo manifeſta fieri præcipiat: ut omnes agnoſcentes quia majorem laborem ſuſtinentes quam oportet imperialibus incurrere cogitationibus, tamen nihil prius illorum duximus ſalute, ne undique emendicent quod juſtum eſt, ſed omnes videntes in unum collectam de hac legislatione partem, ſciant quia & priorem iis quæ jam poſita ſunt, ſervavimus legem: & futuro tempori competentem poſuimus congruentiam. Datum 15. Kal. Auguſt. Conſtantinop. poſt [16] Beliſarii V. C. Conſ. Scriptum exemplum [17] Patricio glorioſiſſimo præfecto hujus almæ urbis. Scriptum exemplum Baſilidæ glorioſiſſ. magiſtro ſacrorum officiorum expræfecto, exconſule, & patricio. Scriptum exemplum Triboniano glorioſiſſimo quæſtori iterum & exconſule. Scriptum exemplum Germano glorioſiſſimo magiſtro equitum ſacri Præſentis, exconſule & patricio. Scriptum exemplum Tzigæ glorioſiſſimo magiſtro peditum ſacri Præſentis, exconſule & patricio. Scriptum exemplum Floro glorioſiſſ. comiti ſacrarum rerum privatarum & exconſule. † Tua igitur excellentia cognoſcens ea quæ nobis placuerunt, in judicio tuo inſinuet tam advocatis, quam aliis quibus præes, ſecundum hanc noſtram conſtitutionem ſufficientibus his, quæ hac de re a nobis ſcripta ſunt ad Joannem glorioſiſſ. ſacrorum per Orientem prætoriorum præfectum, iterum exconſulem & patricium. Dat. 15. Kal. April. *Conſtantinop.* poſt [18] BELIS. V. C. CONS. *

TIT. II.

DE APPELLATIONIBUS [19] ET INTRA [20] QUÆ TEMPORA DEBEAT APPELLARI.

Hanc legem non habent Scrimgeriana & Haloandrina editiones, ſed ejus tantum argumentum & ſummam: quod argumento eſt hanc vulgarem translationem ex meliore & integriore archetypo deſumptam, quam ullam aliam editionem, ſed & omnes Novellæ Latinæ deſunt in illis novis editionibus.

NOVELLA CONSTIT. XXIII.

Imp. Juſtin. Auguſt. Triboniano glorioſiſſ. quæſtori iterum & exconſuli.

PRÆFATIO.

ANteriorum legum acerbitati plurima remedia imponentes, & maxime hæc circa appellationes facientes in præſenti ad hujusmodi beneficium pervenire duximus eſſe neceſſarium. Antiquitati [21] etenim cautum erat, *ut ſi quis per ſe litem exercuerit, & fuerit condemnatus: intra duos* [22] *dies tantummodo licentiam appellationis haberet, ſi autem per procuratorem cauſa ventilata ſit, & in triduum* [23] *proximum eam extendi.* Ex rerum autem experientia invenimus hoc ſatis eſſe damnoſum: plures enim homines ignaros legum ſubtilitatis, & putantes in triduum eſſe provocationes porrigendas, in promptum periculum incidiſſe, & biduo tranſacto cauſas perdidiſſe. Unde neceſſarium duximus hujusmodi rei competenter mederi.

CAP. I.

ET [24] ſancimus omnes appellationes, ſive [25] per ſe, ſive per procuratores, ſeu per defenſores, vel curatores, vel tutores ventilentur, poſſe intra [26] decem dierum ſpatium a recitatione ſententiæ [27] numerandum, judicibus ab iis quorum intereſt offerri: ſive magni, ſive minores ſint, (excepta videlicet ſublimiſſima prætoriana præfectura [28]) ut liceat homini intra id ſpatium pleniſſime deliberare, ſive appellandum ei ſit, ſive quieſcendum: ne timore inſtante opus appellatorium frequentetur, ſed ſit omnibus inſpectionis copia, quæ indiſcuſſos hominum calores poteſt refrænare.

CAP. II.

De conſultationibus [29].

AD hæc ſancimus, ſi quando lis ſperatur in noſtrum [30] inferri conſiſtorium: ſi forte contigerit imperatoriam majeſtatem occupatam publicis cauſis ex mundanis proviſionibus, non poſſe convocare patres [31] quatenus cauſa agitetur non [32] ex hoc litem periclitari. Quod enim vitium eſt litigantium: ſi culmen imperatorium occupetur? vel [33] quis tantæ eſt auctoritatis, ut nolentem principem poſſit ad convocandos patres cæterosque proceres coarctare? Sed ſi quid tale evenerit, cauſa intacta permaneat donec imperator ſua ſponte motus & convocari proceres [34] juſſerit, & litem inferri patiatur, & omnia ſecundum morem procedere.

CAP. III.

De Appellationibus in Ægypto & Aſia, Ponto &c.

ILlud etiam in tertio capitulo diſponendum eſt, quod antiquitas bene ſtatuit, novitas autem neglexit. Cum enim veneranda vetuſtatis auctoritas ita [35] magiſtratus digeſſerit, ut alii majores, alii medii, alii minores ſint, & appellationes a minoribus judicibus non ſolum ad maximos judices remitterentur, ſed ad ſpectabilium judicum tribunal, quatenus & ipſi ſacro auditorio adhibito litem exercerent: novitas autem hoc deliquerit: evenit ut ſuper minimis cauſis maximi noſtri judices inquietentur: & homines propter minimas cauſas magnis fatigentur diſpendiis, ut forſitan totius litis æſtimatio ad ſumptus judiciales non ſufficeret. Ideoque ſancimus, ſi quando ex Ægyptiaco [36] tractu, vel adjuncta ei utraque Lybia provocatio ſperatur, usque ad decem [37] librarum auri quantitatem: non in hanc regiam urbem eam venire, ſed ad præfectum Auguſtalem, qui audiat, & cauſam dirimat vice ſacri cognitoris [38] nulla ei [penitus] poſt definitivam ſententiam appellatione porrigenda. §. 1. Similique modo quoties in Aſiana [39] diœceſi vel Pontica tale aliquid emerſerit, usque ad prædictam quantitatem decem librarum auri appellationes ad viros ſpectabiles, comites [40] forte, vel proconſules, vel prætores, vel moderatores, quibus ſpecialiter easdem lites peragendas deputavimus, remittantur: quatenus & hi ad ſimilitudi-

1 Sacerdoti nulla ſpes nuptiarum. 2 Qui Mutianæ cautioni non ſatisfacit: & rem & fructus reddit. *l. 76. §. 7. ff. de leg. 2. l. 73. 79. §. 2. ff. de cond. & dem.* & uſuras, ſi quas percepit. *verſ. ſi vero. J. hic.* 3 Mobilium rerum duo genera hic conſtitui colligas. Unum eorum, quæ ita reſtituuntur, ut ſunt accepta, *verſ. ſed ſi quidem. ʒ. hic.* aliud ut aliter. *ut hic.* 4 Uſuræ ob uſum debitæ. 5 Id eſt, trientes uſuras, *ut l. 6. §. 1. C. de ſecund. nupt.* 6 Non valde locuples, etiam fidejuſſorem dare tenetur: ſin minus, jurat. 7 Juratoria cautio, & hypotheca rerum propriarum fidejuſſionis ſubſidia. 8 *l. 9. in fin. ff. de rei vindicat.* adde *l. 8. in fin. C. depoſiti.* 9 Χρυσίον, pecunia numerata, *Julian.* 10 Id eſt, trientem. 11 Sacerdotium & mors, nuptiis hic obſiſtere dicuntur. 12 Id eſt, etiamſi extranei. Senſus eſt, extraneum, id eſt, alium a marito, extraneæ perſonæ poſſe legatum relinquere, ſub conditione non contrahendarum nuptiarum, *Jul.* Robertus tamen 1. *animad.* 2. putat, viduitatem a nullo alio indici potuiſſe, quam a marito, & legem Juliam Miſcellam alio non pertinuiſſe, quam ad indictam ab altero conjugum viduitatem. Movetur *lege 2. 3. C. de indicta viduitate*, quæ mentionem tantum facit conditionis adſcriptæ conjugum teſtamento, quo nomine reprehenditur ab Antonio Mercatore, 1. *Not.* 2. & textus hic quoque evidenter aliud ſentit, ut & Julianus vetus interpres. 13 Id eſt, ſub conditione caſuali. 14 Si quis certa parte inſtitutus fuerit ſub conditione non faciendi, cavere debebit coheredibus vel ſubſtitutis, nemine ex his apparente cavebit heredibus ab inteſtato, *Julianus Patricius.* adde *l. 18. ff. de cond. & dem.* 15 Teſtator cautionis neceſſitatem legatario remittere poteſt. At non poteſt uſufructuario, *l. 1. C. de uſufr.* Poteſt, ſed non de utendo fruendo boni viri arbitratu. Cujacius aliter diſtinguit, ut enim negat omnem cautionem fructuariis remitti poſſe: ita fatetur Mutianam poſſe remitti. 16 Voluntas defuncti ſervanda. 17 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Sed ſi aurum, C. de ſec. nupt.* 18 *l. 6. §. 1. C. de ſec. nupt.* 19 *Novell.* 2. intelligit *cap.* 4. 20 Maritus ſcilicet. 21 Ἐπιδοίη, id eſt, dederit. 22 14. ʒ. pœnæ ſecundas nuptias contrahentibus conſtitutæ. 23 Pecunia mobilium appellatione continetur, *hic & l. 79. §. 1. ff. de legat.* 3. De quo non eſt dubitandum, quando mobilia ſimpliciter, & per ſe, non autem tanquam acceſſoria certæ rei relicta ſunt. de quo late Philipp. Corn. *vol. 2. conſil.* 48. Menoch. *de præſumpt. lib. 4. præſumpt.* 127. Mantic. *de conject. ultimar. volunt. lib. 9. tit.* 3. Anſ. 24 Et quemadmodum mater ſecundas nuptias contrahens ſuccedat liberis ex teſtamento, vel ab inteſtato, vid. *Jul. c.* 166. 25 Hinc ſumpta eſt pars authenticæ, *Ex teſtamento, C. de ſecund. nupt.* 26 *Novell.* 2. ʒ. *hic.* 27 Id eſt, anno 534. 28 Teſtato filio matres ut ſuccedant ſecundo nubentes. 29 Morientium voluntates ſervandæ. 30 Id eſt, inſtitutionis jure. 31 Senſus eſt, Matri ſecundas nuptias contrahenti filius quantum voluerit teſtamento conferre poteſt, nulla habita ratione bonorum, cum ea ſint a patre, non ab aliis perſonis accepta. 32 Inteſtato filio ut ſuccedant matres ſecundo nubentes, adde *Novell.* 48. *c.* 2. 33 Filio mater ſuccedit ab inteſtato, cum ejus fratribus in capita. 34 Idque in capita. 35 Mater filio ſuccedens in ejus profectitiis, hujusmodi profectitiorum nudum habet uſumfructum, in adventitiis proprietatem, quam ideo poteſt quoquomodo alienare. Julianus hunc locum ita interpretari videtur *c.* 167. 36 15. pœna ſecundis nuptiis conſtituta; cujus hic ſenſus eſt: Mater binuba ſuccedens filio ab inteſtato, cum aliis defuncti fratribus, bonorum ejus paternorum ſolum habet uſumfructum: adventitiorum vero in ſua rata pro virili etiam proprietatem. Num jus idem in donatione propter nuptias? dicetur J. 37 In rebus acceptis donatione propter nuptias, uſum ſolum habet uſumfructum. *J. hic.* 38 *l. 6. C. de ſec. nupt.* 39 Ingratitudinis cauſæ quæ ſint in liberis. De cauſis ingratitudinis, vide *cap. 28. & 35. ʒ. hic. Nov. 115. c.* 3. 40 Ingratitudinis manifeſtas cauſas eſſe oportet in liberis, ut poſſint exheredari. 41 Ingratitudo fratri poteſt objici: & ob ingratitudinem frater fratrem exheredare poteſt: adeo ut interpretes exiſtiment, eo caſu fratri exheredato nullam competere querelam inofficioſi, etiam turpibus perſonis inſtitutis. 42 Fratres fratribus ut ſuccedant. 43 Ingrati loco habetur, qui mortem fratri procuravit, qui ſe adverſus eum criminaliter inſcripſit, qui omnium bonorum litem ei dictavit. 44 Ingratitudinis ſigna obſerva. 45 Adde *l. 14. ff. de bon. libert.* olim id minime nocebat. *l. 6. ff. unde cognati.*

per

1 *Novell. 2. c.* 3. 2 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Et cum. C. ad SC. Tertyll.* 3 *§. 3. verſ. frater. Inſt. & l. 5. C. ad SC. Tertyll.* 4 *C. 46. §. 2. ʒ. l. 7. C. ad SC. Tertyll.* 5 Id eſt, in capita. 6 Et ita abrogatur *d. l.* 7. Fratri ab inteſtato ſuccedunt fratres ac ſorores cum defuncti matre viriliter, id eſt, æquis portionibus. Et ſic mater hodie non excluditur a maſculis fratribus defuncti, ut olim *ſupr. hic.* nec concurrit cum ſororibus defuncti in meram dimidiam (ut ſcilicet habeat tantum ſola, quantum reliquæ omnes defuncti ſorores,) ut olim, *ſupr. hic.* ſed in virilem. 7 Æqualitas parentibus ſervanda in inſtituendis liberis: adeo mihi adverſus æquum & bonum facere videntur parentes, integram hereditatem maſculis addicentes, & filias modico contentas eſſe jubentes: adverſus *l. pactum. 3. Cod. de collat.* Goth. Vid. Pecc. *de Teſtam. conjug. cap. 18. num.* 10. Anſ. 8 Liberi, matri ex æquo ſuccedunt ab inteſtato. 9 Id eſt, depauperare. 10 Parentes ſtudere debent filios ſuos, tam ex ſecundo matrimonio natos, quam ex primo procreatos, æquis portionibus heredes ſcribere. Hæc tamen adhortatio neceſſitatem parentibus non imponit. 11 Legis virtus in hortando nulla pene eſt. vide quæ ſcripſi ad *l. 7. ff. de legib.* 12 Legitima pars ab inteſtato, omnino filiis relinquenda. 13 *Novell.* 18. *c.* 1. 14 Legitima quantitas quæ hodie ſit. 15 Sub tua juriſdictione. 16 Id eſt, anno 536. 17 Τὸ ἰσότυπον. 18 Id eſt, 536.

19 Dixi ad *L.* 49. *D.* Huic Novellæ reſpondet conſtitutio 24. apud Julianum. *Goth.* Adde *Novell.* 24. 25. 26. 41. 49. 50. 62. 75. 82. 93. 115. 119. 126. Vid. etiam Rittershuſ. *in expoſit. Nov. part. 10. cap.* 1. Anſ. 20 Dixi ad *L.* 49. *D.* 4. 21 Id eſt, antiquis legibus. *l. 1. §. 5. 7. l. 2. ff. quando appell. l. 6. §. 5. C. de appell.* 22 *d. §. 5. 7. d. l. 2. d. §.* 5. 23 *d. l. 1. §. 5. l. 5. l. 20. ff. de appell.* 24 Hinc ſumpta eſt authentica, *Hodie, C. de app.* 25 Appellare quis poteſt, per ſe, vel per procuratorem, vel defenſorem, vel curatorem, vel tutorem. 26 A ſententia judicis appellandum intra decem dies, ſive propria ſit, ſive aliena cauſa, *cap. cum dilectus, in fin. x. de electionibus. cap. 36. x. de teſtib. cap. 15. x. de ſententia & re judicata.* alias tranſit ſententia in rem judicatam, & pro veritate habetur, ut dixi ad *tit. ff. quando appellandum.* 27 Definitivæ, Julian. *c.* 43. 28 A qua non appellatur. 29 *Novell* 20. ʒ. *hic.* Julianus 90. *c.* 93. 30 Quid ſi ad alios judices cauſa introducta non fuerit (ex mora judicis) intra annum definita? dabitur temporis reſtitutio. vid. *leg. ult. §. 4. Cod. de tempor. appell. l. 2. in fin. ff. ſi quis cautionibus.* 31 Id eſt, ſenatum. *Jul.* 32 Si mora imperatoris ſententia ferri non poteſt, judicii præſcriptio non objicietur: Mora & cunctatio principis litigatoribus non nocet. Hinc autem ſumpta eſt Auth. *ſed & lis. Cod. de temporib. & reparat. appell.* 33 Princeps cogi non poteſt, ut intra certum tempus ſententiam ferat. 34 Senatores, Julian. *d. loco.* 35 Magiſtratuum alii majores, alii medii, alii minores. 36 De provocationibus in Ægyptiaca regione porrectis Jul. *c.* 91. 37 Ne dicas 500. aureorum quantitatem, ut Julianus ait *conſt.* 24. *c.* 91. ſed 720. v. Cuj. *hic.* 38 Ita ut hodie Princeps vel Imperator in hiſce ſummis non appelletur. 39 De provocationibus in Aſiana vel Pontica regione porrectis. Julian. *c.* 92. 40 Hic omittuntur Præſides *Novell. 8. c. 15. §. 35. 36.*

[Xxx] 3 nem